AD SANCTISS. DOMINUM NOSTRUM CLEMENTEM 8. PONT. MAX...

Ottaviano Vestri Barbiani

Digitized by Google

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

CLEMENTI OCTAVO

PONTIFICI MAXIMO

Octauianus Veſtrius Barbianus.

Anniuerſariam diei, quo Pontificatus inſignia accepit, celebritatem gratulatur.

MVLTA mihi hodierno die, qui Catholicæ Eccleſiæ illuxit feliciſsimus, eumq́. nobis, vertente anno repræſentat, in quo Pontificiæ dignitatis ornamenta ſuſcepiſti, ſeſe obijciunt ſumm[æ] cuiuſdam lætitiæ, & voluptatis argumenta, Pater Beatiſsime; ſed nullum illuſtrius, & ad bene de communi ſalute ſperandum opportunius, quàm, quòd diuino conſilio in celſiſsima iſta ſede collocatus, non ſolùm, & Clemens, & Octa-

uus tunc appellari volueris, ſed etiam, quæ nomine pollicitus es, re ipſa præſtare cœperis, & vt ſe principia dant, multo maiora quamdiutiſsimè præſtaturus eſſe videaris. Quod enim nomen à Romano Pōtifice vſurpari potuit, his præſertim miſeris temporibus, quibus ſceleratorum hominum immanitas, & furor in optimos quoſq. atrociſsimè debacchatur, quod magis animos noſtros mœrore iacentes erigere, diffidentes confirmare, recreare perditos, & ad diuinum numen noſtris ſceleribus infenſum nobis conciliandum, excitare poſſet? Quem certiorem vadem, quem ſponſorem fideliorem diuinæ miſericordiæ habere, aut ſperare poteramus, quàm eum, qui in terris, vt Dei perſonam gerit, ſic propriam virtutem nomine ſuo expreſſam, ad publicam humani generis incolumitatem factis imitatur? Octauum autem cùm te appellari volueris, in ſpem nos adduxiſti fore, vt huius tanti, & præſentis, & ſperati boni, quam maximè diuturno vſu perfruamur. Octo deſiderantur anni, vt hoc ſæculum luctuoſum, & calamitoſum finiatur, & Octauum te excepimus, qui præteritarum calamitatum finem, idemq. initium expectatæ felicitatis afferes. Id quod tunc clariùs euceſcet, cùm cœleſtium diuitiarum theſauros ipſo Iubilei, vt precamur, anno

recludes.

recludes. Futurum autẽ, vt ijs octo annis bis octo alij addantur, ex triplici diademate ſacroſancto capiti tuo eo die impoſito colligimus: Sicq. fiet, vt qui vitæ integritate laudatiſsimos quoſq. Pontifices refers, idem Pontificatus diuturnitate ad ipſum Apoſtolorum Principem Petrum proximè accedas. Neq. verò hoc dico, quòd aliqui ſint, qui te iſtius honoris ſplendore valde capi, & huius lucis vſura multùm delectari putẽt. Vſus enim te præter cæteros erudiuit, veriſsimam eſſe Beati Gregorij de Pontificatu ſententiam, Eum, honorem eſſe oneroſum, in quo innumeræ curæ perſtrepunt, in quo mens pene ad ſtuporem deducta ſanguinem ſudat; Præſertim cùm Beatum Petrum imitatus aſsiduè exclames, Iube me Domine venire ad te; ſitq. hæc tua vox vſitata, Pontificatus cupienti detur. Quorſum ergo iſta? nimirùm, vt intelligas, qui te firma ætate, & integra valetudine rerum omnium ſummæ præfecit Deus, eundem non modo huius anni, ſed & plurimorum annorum, nec tantùm coronæ, ſed etiam coronis benedicere voluiſſe; ideoq. oportere, vt in Catholicæ Eccleſiæ, vndiq. periculis circumuentæ tranquillitate paranda, induſtria, ac virtus tua, diu, multumq. exerceatur. Magno igitur, fortique animo ſis; Grandis enim tibi reſtat via, quam

ſimul atque confeceris, alia te in cœlo corona exornabit; non illa quidem octonis, vel centenis annorum ſpatijs circumſcripta, non vllis morborum, ac mortis periculis expoſita, ſed cui in æuo ſempiterno, nec præteritum tempus quidquam adimat, nec futurum adiungat, nec præſens, quod cæteris omnibus effluit, dilabatur. Quam quidem, vt ſerò, ad maximam totius Eccleſiæ vtilitatem accipias, futurum omnino confidimus. Id ardentiſſimis precibus Eccleſia vniuerſa precatur, id cupiunt boni omnes, id ego etiam, minimus licet Sanctitatis tuæ clientulus, nuncupatis votis exopto.

LAVS DEO.

Dedit A. p. d. Marcellus Vistrius Secret. Ap.cus Pater Auctoris die